

cultas absolvendi toties, quoties suos subditos, etiam Novitios (in Religione tamen perseverantes, addit Hyacinthus Donatus tom. 1. parte 1. tract. 13. quæstion. 17. numer. 5. idem privilegium adducens) ab omnibus, & quibuscunque peccatis, sententiis, & pœnis (Hyacinthus Donatus citatus addit: censuris pro sententiis) licet fuerint de casibus Sedi Apostolicæ reservatis, vel de comprehensis in Bulla Cœnæ, five crimina sint occulta, five publica, quam Bullam etiam refert Peyrinus ad Constit. 4. Sixti IV. Unde cum in hac Bulla nullus casus etiam Bullæ Cœnæ excipiatur, omnes censentur concessi, five occulti, five publici sint, dummodo tamen semper Hæresis excipiatur. Ita Antonius à Spiritu Sancto loco citato. Hyacinthus Donatus Dominicanus in praxi Rerum Reg. tom. 2. part. 1. tract. 11. quæstion. 18. docet, Prælatos Regulares posse in foro animæ suos subditos absolvere ab hæresi occulta, etiam si forent relapsi in hæresim, ex privilegio Jesuitis cœcesso à Gregorio Papa Decimo Tertio: quo, Anno 1588. 18. Martii, indultum fuit Generali eorumdem, ut posset absolvere suos subditos ab hæresi, & à relapsu in hæresim, habereturque in compendio privilegiorum dictæ Societatis. Verbo: Absolutio 1. §. 7. & refert Suarez tom. 4. de Religione tract. 1. lib. 2. cap. 21. num. 2. Idem Hyacinthus Donatus cit. quæst. 19. docet, Prælatos Regulares cum suis subditis posse dispensare in irregularitate occulta Hæresis, & hoc ex duabus factis fundatis rationibus. Prima est: quia ex nullo capite, apparet, hanc potestatem esse revocatum. Secunda est: quia Episcopi hoc possunt respectu suorum subditorum. Eligius Bassæus Capuccinus in suis floribus, verbo: Abbas, §. 2. docet, Prælatos Regulares etiam locales, posse absolvere suos subditos Regulares ab hæresi occulta id est, non publica, quamvis juridicè probari possit, & à reliquis casibus Bullæ Cœnæ, item à simonia quomodolibet contracta, & excommunicationibus Episcopo reservatis, in quos fortè lapsi essent ante professionem. Item Prælatos Fratrum Minorum, & Confessarios per eos deputatos absolvere posse Moniales sibi subditas ab omnibus peccatis, & censuris, à quibus possunt absolvere suos Fratres. Ita Rodriguez. Idem apud la Croix lib. 6. part. 2. num. 1622. affirmat Bonagratia, & apud Matthæucci in officiali curiæ Ecclesiasticæ cap. 38. num. 24. Sanctorum Comment. c. 2. Stat. 14. sub §. 1. vers. 4.

IV. Ex his sequitur. I. Quod licet Prælati Regulares possint suos subditos Regulares absolvere à casibus Sedi Apostolicæ reservatis juxta supradicta; ac etiam Confessarii Regulares Mendicantes possint sæculares absolvere à censuris Sedi Apostolicæ reservatis extra Bullam Cœnæ, uti etiam suprà dictum fuit: nequeant tamen Confessarii Regulares Mendicantes ab ullo ex casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reservatis, absolvere Regulares, si non sint eorum Prælati: Ratio est, quia prædictum privilegium absolvendi à casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reservatis concessum est Confessariis Regularibus respectu Sæcularium, non Regularium. Vide P. Sporer Theol. Sacrament. parte 3. cap. 6. sect. 2. num. 743. Unde Confessarii Regulares subditi neque Religiosos eiusdem Ordinis sui absolvere possunt ab ejsmodi casibus Papalibus, nisi ad id à Superioribus specialiter deputati sint. Sequitur. II. Quando Provincialis in Conventibus deputat Confessarios pro casibus reservatis, an eisdem tantum conferat potestatem in casibus in Ordine reservatis Superioribus, an etiam in casibus Papales istos? Respondet Pater Sporer citatus debere intelligi mentem Provincialis ex forma verborum; si enim dicat, Do tibi totam meam potestatem, & facultatem absolvendi ab omnibus, à quibus ego possum, cœntetur etiam dare facultatem in istis casibus Papales. Secus, & saltem dubium esset, si dicat: Do tibi facultatem ab omnibus casibus mihi reservatis. Vide, quam merito nuper declaratum sit, Confessarios etiam deputatos ad casus reservatos, non tamen posse absolvere percussores Fratrum, Vide Patrem Sporer cit.

SECTIO III.

De Suspensione, & Interdicto.

QUÆSTIO I.

Quid sit Suspendio, & Quotuplex.

SUMMARIUM.

122 Suspendio est censura Ecclesiastica, qua Clericus privatur usu potestatis Ecclesiasticæ &c.

123 Est triplex: Una ab Officio tantum, alia à Beneficio tantum: Tertia ab utroque.

124 Subiectum suspensionis sunt Clerici, quicumque tandem, etiam Episcopi.

125 Suspensiones in specie contra Clericos, & Religiosos, ac etiam Episcopos, à Jure late enumerantur.

ASSERTIO I.

Suspendio est censura Ecclesiastica, qua Clericus privatur usu potestatis Ecclesiasticæ sibi competentis, aut ratione Ordinis sui Clericalis, aut ratione Beneficii, estque præsertim triplex, una ab officio tantum, alia à Beneficio tantum, & Tertia ab utroque. Communis.

§. I. Suspendio est censura Ecclesiastica.

PER has particulas Suspendio genericè convenit cum reliquis censuris: ex parte tamen etiam indicatur illius differentia ab aliis pœnis Ecclesiasticis, quæ propriè censuræ non sunt, veluti irregularitas, degradatio, depositio. Additur: qua Clericus privatur usu potestatis Ecclesiasticæ, &c. per quas particulas Suspendio differt præcipuè ab excommunicatione, & interdicto; ab excommunicatione quidem, quæ licet etiam privet Ministrum Ecclesiæ, ne functiones Ecclesiasticas exerceat, id tamen solum præstat, quatenus hujusmodi functiones sunt quædam cum fidelibus communicatio, à qua excluditur excommunicatus: at suspensio talibus privat non sub dicto respectu, sed prout sunt usus alicujus Ecclesiasticæ potestatis provenientis ab officio, vel beneficio. Item excommunicatio pluribus privat, quàm suspensio. Differt ab interdicto: hoc quippe, & pluribus privat, ut infra dicetur: & licet etiam privet administratione Sacramentorum, non tamen eatenus, quatenus illa est usus cuiusdam potestatis spiritualis Ecclesiasticæ provenientis ab Ordine, vel Beneficio: sed quatenus est communicatio quædam, & quasi cooperatio illius: quia interdictus nec ministrare potest, nec aliquo modo cooperari actioni Sacræ, quod non verificatur de suspensio. Tandem excommunicatio, & interdictum æque Personas Laicas, ac Ecclesiasticas afficiunt: Suspendio verò solas Ecclesiasticas afficit. Hinc Confessarii, dum absolvunt Laicos, omittunt absolutionem à suspensione ex Rituali Pauli V. Ea propter nec Abbatissæ, vel Priorissæ, etiam suspendi possunt ab Officio, non tamen suspenduntur suspensione propriè dicta, quæ sit censura Ecclesiastica; alioquin violantes fierent irregulares, juxta cap. 15. cui, de sentent. Excomm. in 6. §. de sentent. & Re Judic. in 6. quod nemo dicit.

§. II. Suspendio est triplex.

UNA ab Officio tantum, alia à Beneficio tantum, tertia ab utroque. Suspendio ab Officio est, qua Clerico exercitio suorum Ordinum, & jurisdictionis Ecclesiasticæ interdicatur. Suspendio à Beneficio est, qua Clericus fructus Beneficii percipere prohibetur. Suspendio ab utroque est, qua Clericus impeditur tam ab executione Officii, quàm perceptione fructuum Beneficii: & hæc posterior appellatur Suspendio totalis: duæ verò priores parciales. Si in jure profertur sententia suspensionis simpliciter, & absolute, nec exprimat, an sit ab Officio, venit de suspensione ab utroque simul, ut communiter Doctores affirmant. Rursus suspensio ab Officio alia est ab Officio in totum, privans omni usu Officii, veluti, si quis suspendatur ab Ordine, & Jurisdictione: alia est ab Officio in partem, non omni, sed solum aliquo Officii usu privans, verb. gr. si quis solum suspendatur ab excipiendis Confessionibus. Similiter suspensio à beneficio aliquando privat omni administratione beneficii, & fructuum perceptione: aliquando solummodo administratione certi beneficii, & perceptione horum, vel illorum fructuum. Dividitur etiam subinde suspensio in merè pœnalem, & medicinalem; prior non est propriè censura, cum insignatur ob peccatum merè præteritum, bene verò posterior: quia per eam intenditur emendatio delinquentis, petitque auferri, seposita contumacia. Doctor noster Subtilis 4. dist. 25. quæst. 1. nu. 13. aliam suspensionis speciem assignat, quæ est ab ingressu Ecclesiæ, quam Recentiores arbitrantur esse speciem interdicti: nihilominus videtur esse speciem suspensionis. Nam cap. 15. cui, de sentent. Excommunic. in 6. §. cap. fin. de offic. Ordin. in 6. dicitur: Alioquin Episcopi, & eorum superiores ab ingressu Ecclesiæ, cæteri verò ab Officio, et Beneficio tandiù eo ipso noverrunt se suspensos, quousque restitutionem fecerint de prædictis. Ex quibus patet, prohibitionem ab ingressu Ecclesiæ ali-

QUÆSTIO II.

De Effectibus suspensionis, & ejusdem Absolutione.

SUMMARIUM.

127 Quinam possint ferre censuram suspensionis, & ob quam causam? Remissivè.

128 Quibus privet Suspendio ab Officio, absolute, & simpliciter lata.

129 Suspendio ab Ordine simpliciter, est suspensio ab omni.

130 Quibus privet Suspendio à Beneficio?

131 An privet etiam fructibus Beneficii?

132 Qualiter peccent violantes suspensionem, & quales pœnas incurvant?

133 Quibus modis tollatur Suspendio? Ubi etiam de forma Absolutionis à suspensione.

ASSERTIO II.

SUSPENDIO ab officio absolute, & simpliciter lata privat omni usu Ordinis, & Jurisdictionis, non tamen Beneficio habito, neque fructibus; bene verò novo Beneficio obtinendo. Sic etiam simpliciter, & absolute suspensus ab Ordine, censetur esse suspensus ab omni Ordine, & suspensus ab inferiori Ordine censetur etiam suspensus à superiori Ordine, non è contra. Similiter suspensio à Beneficio absolute lata privat omnibus fructibus Beneficiorum, quæ suspensus possidet, non tamen ipsi Beneficii possessis, nec reddit inhabilem ad Beneficium recipiendum. Violans suspensionem peccat mortaliter, & incurrit pœnas à jure statutas. Tollitur verò suspensio tribus modis. Communis apud Auctores citandos.

§. I. Suspendio ab Officio.

QUINAM possint ferre censuram suspensionis, & ob quam causam, sufficienter colligitur ex dictis suprà de censuris in genere: de effectibus suspensionis hic aliqua dicenda restant, quæ breviter expediemus. Itaque Suspendio ab Officio absolute, & simpliciter lata privat omni usu Ordinis, & Jurisdictionis, ac muneris Ecclesiastici aliàs sibi convenientis, & Communis DD. apud Magistrum Theol. Moral. disp. 13. quæst. 3. art. 2. num. 93. Ratio est: quia suspensio ab Officio absolute lata ad aliquam Officii Ecclesiastici partem non coardatur: ergo comprehendit totum, & proinde hæc suspensio ab Officio dicitur totalis; quia suspendit ab omni actu Ordinis, & Jurisdictionis. Si verò suspensio ab officio non absolute feratur, sed determinatè ad aliquam materiam, non extenditur ultra illam. Ratio est: quia pœnæ ultra proprietatem verborum non sunt extendendæ. Unde suspensus ab Ordine, non est suspensus à Jurisdictione, & è contra suspensus à Jurisdictione potest exercere ea, quæ præcisè requirunt potestatem Ordinis. Præterea suspensus à certo Jurisdictionis actu, verbi gratia collatione Beneficiorum, reliquos exercere potest: quia prohibitio unius est tacita concessio alterius, Herincx disp. 6. num. 66. & alii communiter. Nihilominus tamen, si quis sit simpliciter, & absolute suspensus ab officio, per hoc ipso jure non privatur Beneficio habito, neque fructibus illius, juxta Navarum, Sanchez, Sayrum, Coninch, & Alios apud Layman lib. 1. tract. 5. parte 3. cap. 1. num. 3. etiam si illi fructus essent quotidianæ distributiones Cathedralium, juxta Andream à Maire Dei, Sanchez, Palaum, & Avilam. Ratio est, quia pœnæ absque manifesto textu non sunt extendendæ, sed nullibi legitur, quòd ita suspensus privetur ipso jure Beneficiis, aut fructibus Beneficii prædictis; ergo. Accedit, quia suspensio ab officio, & suspensio à Beneficio sunt pœnæ diversæ, & potest una executioni mandari sine altera: si videlicet suspensus ab Officio, interim temporalem administrationem gerat, & fructus percipiat. Officio verò, quatenus ei concessum est, satisfacere paratus sit videlicet Horas Canonicas recitando, & ad alia munia Ecclesiastica Vicarium constituendo. An verò absolute, & simpliciter suspensus ab Officio possit licitè, & valide consequi novum Beneficium? Controvertitur inter Doctores: quòd illicitè consequatur, communiter conceditur; quantum ad validè, docent probabilibus Magistris cit. num. 95. & apud ipsum Avila, Suarez, Vasquez, Faber, & plures alii Doctores, suspensionem ab officio, reddere suspensum inhabilem ad novi Beneficii consecutionem, & consequenter non posse validè consequi Beneficium. Ratio est: quia, cum Beneficium detur propter Officium, repugnat, ut illi

§. III. Subiectum suspensionis.

SUNT Clerici, quicumque tamen, & quacunque Dignitate fulgentes, etiam Episcopi, si de his in Decreto suspensionem continente fiat expressa mentio; si verò non fiat Episcoporum expressa mentio, hi non comprehenduntur sub Decreto suspensionem continente, etiam si nondum essent consecrati, sed tantum electi, & confirmati forent. Ita Suarez, Layman, Sayrus, Palaus, &c. Ratio est: quia alia privilegia Episcopis concessa extenduntur ad Episcopum confirmatum, & non consecratum: veluti est privilegium de eligendo confessario, capite ultimo de Penitentia, & Remissione, & privilegium Altaris Viatici, cap. fin. de Privilegiis in 6. Ergo similiter Episcopus confirmatus, licet nondum consecratus, gaudebit privilegio indulto per cap. quia Periculosum, de sententia Excommunicationis in 6. Virtute cujus Episcopi non comprehenduntur sub Decreto Generali suspensionis, & interdicti, nulla illorum facta expressa mentione: præsertim, cum privilegia à Principe concessa: & maxime inserta Juri communi sint late interpretanda.

§. IV. Suspensiones in specie.

A JURE late, à Busembaum apud La Croix lib. 8. num. 203. communiores recensentur sequentes. I. Clerici ipso jure suspensi sunt. Recipientes Ordines Sacros ab alieno, vel à proprio in aliena Diocesi, vel sine ætate legitima, aut Dimissionis, aut titulo, vel extra tempus, aut non servatis interstitiis, vel per saltum, vel in censura, vel denique post Marmorium ratum, qui omnes suspensi sunt ab executione Ordinum, nisi fecerint absque dolo, & si Ordine utantur, sunt irregulares. 2. Excommunicantes, suspendens, aut interdicentes sine scriptura, & causæ expressione, est suspensus per mensem ab ingressu Ecclesiæ, nisi sit Prælati Regularis. 3. Clerici scienter eligentes Episcopum, vel Parochum indignum, suspenduntur à Beneficiis biennio 4. Ordinans, & Ordinatus simoniacè est suspensus ab Ordinibus. 5. Parochi jungentes sponfos alterius Parochiæ sine licentia. 6. Gravantes alienis debitis Ecclesiis sibi commissas. 7. Occupantes bona, vel census Ecclesiæ, Beneficii, vel alterius pii loci. 8. Sodomiam exercentes, simoniaci, provocantes ad duellum, vel acceptantes, raptores, vel præbentes auxilium. 9. Disputantes in alterutram partem in cœtu virorum, ac mulierum, de Immaculata Conceptione B. Virginis. 10. Visitantes, si accipiant pecuniam, vel munera; qui si sint Episcopi, suspensi sunt ab ingressu Ecclesiæ: si inferiores Episcopo, ab Officio, & Beneficio, usque dum restituant duplam. 11. Judex Ecclesiasticus (non Episcopus) qui facit injuriam contra Justitiam, & conscientiam parti litiganti. II. Religiosi sunt suspensi. 1. Apostatæ recipientes Ordines in Apostasia. 2. Admittentes ad professionem ante annum probationis peractum. 3. Non utentes habitu, & vestitu, modo sibi præscripto. 4. Introducentes mulieres in Monasteria. III. Episcopus est suspensus. 1. A Pontificalibus per annum, ordinans non subditum, ordinans verò invitum suspensus est per annum à Celebratione. 2. Admittens resignationes contra formam præscriptam. 3. Intrans Monasteria Monialium sine necessitate.

Illi decur Beneficium, qui privatus est Officio. Nec est par ratio, aut ait Faber, de perceptione fructuum Beneficii jam obgenti, & Beneficii de novo post suspensionem collari; nam in primo, qui jam habet beneficium, habet jus acquisitum in fructibus ejus, quo per suspensionem non privatur; at in secundo nullum jus habetur, & novus titulus confertur, quod suspensio repugnat, ut jam dictum. Quod verò in cap. cum Bona Memoria, 8. de etate, & qualitate, & Ordine Praeficiendorum dicatur talem collationem esse irritandam, explicari debet, irritam esse declarandam, seu ab initio irritam jam fuisse, ut alii similes textus in jure explicari solent.

139 Similiter suspensus ab Ordine, absolute, & simpliciter est suspensus ab omni Ordine, Ratio est; quia verba Generalia comprehendunt omnia, quae sub tali specie continentur: sed sub Ordine generaliter prolato continetur omnis Ordo, ergo. Item suspensus ab Ordine inferiori, v. g. Subdiaconatu, etiam censetur esse suspensus ab Ordine superiori Diaconatus, & Sacerdotii, Ratio est, quia cui non licet minus, nec licet, quod est majus, cum minus contineatur sub majori, quod etiam colligitur ex cap. cum illorum 22. de Sentent. Excomm. ibi: cum majora intelligantur illis prohibita, quibus vetita sunt minora. Non tamen, qui suspensus est ab Ordine superiori, censetur etiam suspensus ab inferiori, Ratio est: quia Ordo inferior, cum conferatur sine superiori, potest etiam exerceri sine superiori, eo quod Ordo inferior non includat superiorem, & aliqui possunt licere minus, cui non licet majus.

§. II. Suspendio à Beneficio

140 Non privatur suspensum ipso beneficio, juxta omnes, teste And. à Matre Dei cap. 5. num. 34. ex cap. cuperentes, §. Ceterum, de Elect. in 6. Sed privatur tantum perceptione fructuum beneficii, juxta communem apud Magistrum citat. num. 97. quia cum non tollat ritulum, & possessionem beneficii, nec jus radicale percipiendi fructus, debet ad minus tollere usum talis juris: & si suspensio à beneficio sit absolute, & simpliciter lata, privatur omnibus fructibus beneficiorum, quae suspensus possidet, quia non est, cur tunc suspensio potius de uno, quam de altero lata intelligatur, nisi tamen aliud rationabiliter ex intentione ferentis, aut quadam alia circumstantia conjecturare liceret. Suspendio tamen à beneficio non reddit suspensum inhabilem ad beneficium recipiendum, juxta probabilioris sententiam Layman, And. à Matre DEI, Palao, & Aliorum. Ratio est, quia talis collatio nullo expresso jure irritatur, & cum suspensus à beneficio, adhuc possit liberè actus officii exercere, quorum intuitu confertur beneficium, non est cur collatio illa sit ipso jure nulla, tamen infirmata sit per sententiam Judicis. Quam sententiam saltem in foro conscientiae habere locum, inquit Layman lib. 1. tract. 3. cap. 1. num. 3. Quid autem nomine fructuum, quorum perceptione suspensio privatur, veniat? conveniunt Doctores venire Decimas, Primitias, Oblationes, Pensiones adium locatarum & reliqua emolumenta, quae percipiuntur ratione beneficii. De Distributionibus quotidianis, quae interestibus Divinis Officiis assignantur, etiam dicendum est, eas venire nomine fructuum, si sint extractae ex fructibus beneficii, eo quod fructus beneficii in distributiones quotidianas fuerint divisi: secus dicendum, quando ex peculiari fidelium fondatione sunt extractae, esto tales Beneficiatis applicentur. Ita Palao numer. 4. citans alios. Ratio est: quia illae distributiones juxta primum sensum magis sunt fructus beneficii, quam distributiones, cum etiam ab infirmis, & legitime absentibus obtineantur; at in altero sensu non tam intuitu beneficii, quam Officii conceduntur: & licet beneficium sit conditio, non tamen est causa concessionis.

141 Hic etiam advertit And. à Matre Dei, num. 34. citans Navarrum, Avilam, Dianam, & quosdam alios, quod sicut excommunicatus, si officium per se, vel per alium, licitè, sive illicitè exequatur (de quo selt. praeced. quest. 2. n. 87.) non tenetur fructus beneficii ante sententiam Judicis restituere, ita neque suspensus teneatur illos perceptos ante judicis sententiam restituere: ubi tamen similiter suspensus supponitur officium per se, vel per alium exequi, alioquin jure naturae ad fructuum restitutionem teneatur. Denique suspensus à beneficio non privatur jure eligendi; aut conferendi beneficium, quod ipsi ratione beneficii competit. Ratio est, quia potestas eligendi, aut conferendi beneficia provenit quidem à beneficio, electio tamen, aut collatio non est actus, nec fructus beneficii, sed actus officii, ex beneficio competentis. Layman cit. num. 4.

§. III. Violatio Suspensionis.

EX genere suo est peccatum mortale, ob feriam prohibitionem Ecclesiae in re gravi, nisi excuset parvas materias, ut foret, si suspensus ab Ordine ministraret in Minoribus, quia frequenter Laici sic ministrant. Excipiendum tamen, si suspensus ab Officio non sit denunciatus & ad petitionem aliorum fidelium officia, à quibus est suspensus, ministraret, quia tunc, si prius à suspensione absolvi nequeat, licitè illa ministrat, quantum est ex parte censurae, ex Concilio Constantiensi, Ad evitanda scandala. supra adducto; siquidem petitio fidelium suspendit prohibitionem censurae, redditque actum licitum, qui alias illicitè foret, Secus esse censent Suarez, Saurus, Fagundes, Tolerus etc. quando suspensus est denunciatus, nimirum, non licere illi extra urgentissimam necessitatem ejusmodi officia exercere, quia tunc petitio fidelium esset iniqua, ut potè inductiva ad peccatum: Et quamvis non extet receptum Ecclesiae talem vitandi, quia tamen Ecclesia vult, ut suspensus denunciatus nullo modo Sacramenta ministraret, jurisdictionem exerceret, &c. etiam alii fideles nequeunt simile quidpiam ab ipso petere: non quia ipsis prohibetur communicatio cum illo, sed quia cooperarentur ei ad peccatum; quod non currit de suspensio non denunciata, ut patet ex Concilio Constantiensi citato. Ulterius suspensus ab Ordine Sacro, si nihilominus ejus Officium solemniter peragat, sit irregularis, ex cap. 1. de Sentent. Excomm. in 6. Si verò violetur alia Suspendio, non incurritur irregularitas, qui nullibi in jure exprimitur contrahi irregularitatem ob aliam suspensionis violationem, quam ob praedictam.

§. IV. Absolutio à Suspensione.

Layman lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 4. num. 1. docet, suspensionem tribus modis tolli. Primò, si ob delictum praeteritum imposita est ad certum tempus, vel sub conditione: Donec restituta: elapso tempore, vel conditione impleta, cessat suspensio sine alia Superioris declaratione, aut nova absolutione, quia ultra intentionem ferentis non progreditur. Secundò, si suspensio lata fuit ob delictum praeteritum per modum purae poenae, tollitur per relaxationem, seu dispensationem, de qua in fine hujus capituli. Tertio, per absolutionem tollitur suspensio, prout est censura propria dicta, de qua absolutione idem dicendum, quod de absolutione censurarum in genere, excommunicationis in specie, supra diximus, nisi quod absolutio à suspensione juris non reservata dari non possit ab eo, qui potest solum absolvere à mortalibus. Idem dicendum de suspensione lata per sententiam Generalem. Ita apud Herincx disp. 6. de Censuris, quest. 3. num. 78. Doctores fere communiter, & pro certo tradit Castro-Pal. disp. 4. punct. 9. n. 8. quia absolutio à suspensione non est necessàriò praemittenda absolutioni Sacramentali, sicut est praemittenda absolutio ab excommunicatione. Contrarium tamen docet Praepositus q. 1. dub. 14. n. 91. & alii nonnulli apud Herincx cit. quibus accessit Reiffenstuel lib. 5. Decret. tit. 39. nu. 251. idem censens de interdicto. Ex privilegio autem Sedis Apostolicae possunt Confessarii Ordinum Mendicantium absolvere à quibuscunque censuris, etiam Suspensionis, sententias, & poenis ex delicto provenientibus, adeoque etiam à suspensionibus latis per modum purae poenae etiam Sedi Apostolicae reservatis, exceptis contentis in Bulla Coenae Domini, ut patet ex Bulla: cum inter causas Pauli III. quae est 7. in Bullario Rodriquez. Ita Herincx cit. num. 79. Forma absolvendi à suspensione est: Ego te absolvo à suspensione, & restituo te ad executionem tui muneris, vel Ordinis, vel ad tuum beneficium, in Nomine Patris etc. Quando autem res est dubia, apponi debet particula, si quam incurristi. Non tamen omnia illa verba sunt necessaria, sed illa solum; Absolvo te à vinculo suspensionis, vel à suspensione, quia sufficit, ut exprimat actus sententiae absolutis. Ita Magistrum Theol. Moral. disp. 13. quest. 3. num. 104. subjungens: quod autem spectat ad solemnitatem Absolutionis hujus censurae, nihil dicendum remanet, quia ab Ecclesia, ut notat Faber, nulla solemnitas est instituta, quae in absolvendo ab hac censura sit ex praeepto servanda, quia de hac solemnitate nihil in jure reperitur, neque ex praxi communi aliqua est in usu.

QUESTIO III.

Quid, & Quotuplex sit Interdictum, quae ejus Causa, & Subjectum?

SUMMARIUM.

- 135 Interdictum est censura Ecclesiastica: prohibens usum tam activum, quam passivum Divinorum officiorum etc.
136 Interdictum est triplex, Locale, Personale, Mixtum.
137 Quenam comprehenduntur sub Interdicto Generali?
138 Qua sit causa efficiens Interdicti?
139 Quodnam sit Subjectum Interdicti?

ASSERTIO III.

Interdictum est censura Ecclesiastica, prohibens usum tam activum, quam passivum Divinorum officiorum, certorum Sacramentorum, & sepulturae Ecclesiasticae: est triplex, Locale, Personale, & Mixtum. Qui potest excommunicare, potest etiam interdicere. Subjectum interdicti, & causa, ob quam fertur, est idem, quod excommunicationis. Communissima.

§. I. Interdictum est censura Ecclesiastica

135 Prohibens usum tam activum, quam passivum Divinorum officiorum; certorum Sacramentorum, sepulturae Ecclesiasticae. Magistrum Theol. Moral. disp. 13. q. 4. num. 106. cum communi, & colligitur ex cap. Non est Vobis, De sponsalibus, & ex cap. quod in te, de Penitentia, & Remiss. Quod interdictum sit censura Ecclesiastica, quae sunt primae particulae definitionis, patet ex dictis supra de censuris in genere, & per has particulas differt ab aliis poenis Canonicae, quae non sunt censurae, ut sunt Irregularitas, Depositio, &c. Per reliquas particulas differt Interdictum imprimis à Suspensione, quae licet privet usum activo Divinorum, non tamen passivo, nec privat semper omnibus, ut interdictum: sed nunc uno, nunc duobus, & interdictum omnibus, & dicitur interdictum activum, & passivum privare, quia, quae per interdictum prohibentur, ita prohibentur, ut nec quis dare, nec percipere possit: qua ratione interdictum Ecclesiasticum sepulturae nec dare, nec recipere potest, sicut etiam nec Divina officia celebrare, nec eis assistere. Differt etiam à suspensione, quia haec Clericorum tantum censura est, ut diximus: interdictum verò est censura communis Clericis, & Laicis. Deinde Interdictum differt ab Excommunicatione: tum quia haec longè pluribus privatur, quam interdictum: Tum quia excommunicatio privatur Divinis officis, quatenus sunt quaedam cum aliis communicatio: at interdictum privatur illis secundum se: & quatenus sunt quaedam Bona à fidelibus possidenda.

§. II. Interdictum est triplex.

136 Nimirum Locale, Personale, & Mixtum ex utroque. Ita Doctores communiter apud Magistrum cit. nu. 107. Locale est, quod directè fertur in locum, quia scilicet interdicat Divina officia in eo loco celebrari secundum modum à Canonibus expressum: in Personam verò tantum indirectè, & per redundantiam quamdam, scilicet dum sunt in illo loco, & in tali Ecclesia, unde illae Personae possunt alibi Divinis officis assistere, Sacramenta recipere, &c. Interdictum autem Personale est, quod immediate, & directè fertur in personam, per quod persona areatur ab usu tam activo, quam passivo quorundam Divinorum officiorum, & in quocunque loco. Interdictum denique Mixtum est illud, quod coalescit ex Locali, & Personali, vi cujus locus, & Personae simul interdicuntur. Subdividitur ulterius apud Magistrum cit. num. 108. Interdictum tam locale, quam personale, in Generale, & Speciale, seu Particulare. Generale locale est, quod aliquis locus Generalis, seu Universalis, plura in se continens loca partialia, interdicatur, ut si interdicatur Regnum, Provincia, Diocesis, Civitas, Villa, Castrum, vel tota Parochia alicujus Civitatis. Interdictum Locale Speciale, seu Particulare, est quo locus aliquis particularis interdicatur, verbi gratia Ecclesia aliqua particularis ob crimen in ea perpetratum. Interdictum Personale Generale est, quod fertur in aliquam communitatem personarum, ut est corpus politicum plurium personarum collectivum, & in personas singulas, ut sunt partes illius communitatis. Interdictum autem Personale, Speciale, seu Particulare est, quod fertur in unam determinatam personam, vel in plures, non tamen, quatenus sunt par-

§. III. Causa efficiens Interdicti.

137 Quae causas interdicti concernunt, pleraque jam diximus supra sectione 1. de Censuris in genere. Nihilominus de causa efficiente Interdicti dicimus, quod qui potest jure ordinario excommunicare, potest eodem jure interdicerè. Textus, in quibus mandatur Episcopis, ne ferant interdictum sine judicio Capituli, consuetudine legitime introducta dicuntur abrogati: cum de facto Episcopus in nullo habeat Jurisdictionem communem cum Capitulo. De Praelatis Religionum passim tenetur, eos posse ferre interdictum personale in sibi subiectos, at non locale, saltem de consuetudine, nisi in populum habeant Jurisdictionem.